

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nummotheca Principum Austriae

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

Herrgott, Marquart

Friburgi Brisgoviae, 1752

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241470)

nuavit, cumque iis anno 1609. duodecim annorum inducias PHILIPPUS III. REX HISPANIÆ. pepigit (11. 12.), in id eo in negotio cum primis intentus, ne quid Religio Catholica detrimenti caperet (8. 9.), quam & postea pari fervore, afflictis Catholicorum Aquisgranensium rebus succurrens (13.), tuitus est.

Reliquum principatus sui, ut ut hostibus quibuscunque par iudicaretur (14. 27.), tranquillum fuit & pacificum (30.): foris tamen potius, quam domi, non suo ipsius, sed Aulicorum quorundam vitio. Quare anno 1621. morti vicinus, regni, non optime administrati, pœnitentia ductus, verba, memoria digna, protulisse fertur: *satius sibi fuisse, Monachi vitam egisse, quam Regis.*

Ex coniuge MARGARETHA, quam iam tum anno 1611. amisit, octo liberos, ex quibus omnium prima ANNA MARIA MAURITIA, postea Franciæ, ut dicemus, Regina, anno 1601. (8.) nata est, suscepit. Eorum nummos, quorum scilicet ad nos pervenerunt, suis locis dabimus.

Inter usuales maxime suspiciendi sunt, qui titulum FIDEI DEFENSORIS præferunt (15.). Laudantur quoque in iisdem nonnulla Ducis OSSUNÆ, qui vice Regis regno Neapolitano præfuit, acta (20. 21.): quemadmodum & in alio *mnemonico* Præfectus Mediolani; ob *iustitiæ & tranquillitatis* studium (29.) celebratur. KHEVENHÜLLER. *Theatrum Europ.*

NUMMI MNEMONICI
ET
ICONICI.

I.

Tab. XL.

PHILIPPVS. PHILIPPI. F. *ilius* PRINCEPS. ARCHIDVX AVSTRIÆ. Protome PHILIPPI armata, iuvenili facie, aureo vellere conspicua: cum collari, pro more eius sæculi, brevique capillo: sub brachio eius dextro sigla sculptoris: N. F. *ecit.* observantur.

Vivo patre hic nummus iconicus cusus est, & quidem anno 1584. ut suspicor, quo PHILIPPUS totius Monarchiæ Hispanicæ heres & successor declaratus fuit.

a Superius certe (a) ex Clar. Tom. II. P. I.

(a) Tab. XXXV. num. xcv. pag. 161.

Dom. VAN LOON produximus nummum, hac ipsa occasione, eodem auctore iudice, cusum; cuius averſa pars ab hoc nostro parum differt, & tam quo ad titulum, quam faciei lineamenta apprime convenit. *M. Imp. ar. pond. semunc. 1. drach. sine postica.*

II.

PHILIPPVS. III. REX. HISPAN. *iæ.* Protome Regis fere ut num. præcedenti, sed hic iam barbatus est, & mystace instructus.

Ancora, *spei* symbolum, adiecto lemmate: SPES. FVTVRA.

Sub initium regiminis, quod PHILIPPUS anno 1598. adiit, haud dubie cusus est hoc numisma; optima nempe quæque de novo Principe spondentibus

B b 2

fibi,

PHILIPPUS III. REX HISPANIE, sibi, fieri ut solet, civibus. *V. L. T. I. pag. 501.*

III.

PHILIPPVS. III. REX. HISPANIARVM. Protome Regis armata, a fronte, torque aurei veleris conspicua, nudo capite, cum lato collari.

Cetera cum nummo præcedenti conveniunt, nisi quod hic super ancoram fertum conspicitur. Occasio eius ex præcedenti pariter intelligitur. LUCK. *p. 373. & ex eodem V. L. T. I. p. 501.*

IV.

MARGAR. *itha* AVST. *riaca* PHILIPPI III. HISP. *aniarum* ET. MED. *iolani* D: *ucis* VX. OR 1598. Protome Reginae cum pallio ex pelibus fabellinis, quali cum anno 1598. vertente Mediolanum ingressa est, indutam fuisse, Illustr. Comes de KHEVENHÜLLER scribit (a), cetera pulchre comptæ, a sinistris dextrorsum.

In averfa arcus triumphalis, magnifice exstructus, cum perigræphe, qua ad nomen Austriacum adluditur: QVA. LENES. SPIRARENT. AVSTRI. & in segmento: VELASHIO. GVBER. *nator* MEDIOL. *ani*.

PHILIPPUS II. pater filio de uxore adhuc vivus prospexerat, eique MARGARITHAM, CAROLI Archiducis filiam, elegerat. Hæc Rege mortuo ex Hungaria, matre comite, in Italiam profecta, in terris *Venetis* ab ALBERTO Archiduce recepta, *Ferrariae* ab ipso Pont. CLEMENTE VIII. ALBERTO desponsata

(a) Annal, Ferdin. Tom. V. col. 1886.

fuit, cui Rex scilicet vices suas demandaverat. Hinc *Mediolanum* contendit, ubi Præfectus VELASHIUS præter insignes alios apparatus extrui iusserat e marmore arcum triumphalem magnificentissimum, LX. pedum altitudine, cuius imaginem hic ipse nummus conspiciendam præbet. *Id. ibid. p. 504. & apud LUCK. p. 373.*

V.

PHILIPPVS. III. HISPANIARVM REX. Protome Regis, fere ut num. II. thorax tamen, quo indutus est, multo splendidius elaboratus, atque ornatus apparet.

MARG. *aritha* AVST. *riaca* HISP. *ania*. Protome novæ Reginae, eleganter comptæ, dextrorsum conversa.

Etsi hoc numisma nota temporis, quo cufum est, destitutum sit: vix tamen dubitaverim, quin occasione nuptiarum, *Valentia* anno 1599. celebratarum, signatum fuerit; maxime cum utriusque imagines cum affabre factæ, tum singulari ornatu conspicuæ sint. *V. L. l. c. p. 510.*

VI.

Idem fere numisma, alio duntaxat ordine collocatum.

Asservatur autem hic nummus iconicus in gazis Aulae Vindobonensis, semunciam & duas drachmas appendens, sed utraque pars seorsim extat, typus tamen posterioris partis priorem magnitudine excedit. Inde HERÆUS, pro more suo, circulos addidit, quibus

Tab. XL. bus redderentur æquales, suisque tabulis eo modo, quo hic depingitur, inseruit. Num iidem typi occasione nuptiarum prodierint, haud equidem pro certo asseveraverim. *M. Imp. ar. pond. semunc. 2. drach. T. H.*

VII.

PHILIPPVS. III. OMNIUM. HISP. ANIA REGN. ORUM ET. VT. RIUSQUE SICIL. IE REX. Pone Regis caput additur nomen sculptoris: *MONF. ORT F. ECIT.* Protome Regis armata, cum paludamento & ordinis aurei velleris insigni, capite nudo ad lævam verso, cum lato collari.

In averfa imagines ALBERTI & ELISABETHÆ CLARÆ EUGENIÆ Archiducum iugatæ, addita perigraphæ: ALBERTVS. ET. ELISABETA. D. EI. G. RATIA ARCHIDVC. ES AVST. RIE.

ALBERTUS & ELISABETHA nuptiarum solemnia itidem *Valentia* eodem, quo PHILIPPUS, tempore, uti iam in antecedentibus monuimus, celebrarunt. Hinc forte præfenti quoque numismati occasio nata est. Illud certe huc refert *Cl. VAN LOON. loc. cit. p. 511.*

VIII.

PHILIPPVS. III. HISPAN. IARUM REX. CATHOL. ICUS ARCHIDUX AVSTRIÆ. ECT (*et cetera*). Protome Regis in toga, averfa fronte, nudo capite, cum ordinis aurei velleris insigni.

In averfa genius, Deus tutelaris, & Præses nativitatis, a

(*) *Æneid. 11. 61.*

gnendo, dictus, tenens sinistra PHILIPPVS III. REX HISPANIAE. genus aliquod baccarum, dextra vero facem accensam, coniugii symbolum. Adstat ei aquila. In ambitu perigraphæ: FOECVND. IMPERIO. & in segmento numerus anni 1601.

Primum hoc anno fecunditatis specimen dedit Regina, dum filiam peperit ANNAM MARIAM MAURITIAM, quod ut Regi magnam creavit lætitiã, ita spem fecit, fore, ut plures adhuc sequantur fecunditatis regiae fructus, quo regni felicitas eo firmiter stabiliretur. *Ibid. pag. 546.*

IX.

PHILIPPVS. III. HISPANIARUM REX. Effigies Regis ut num. VI.

In averfa leo coronatus, altero pede vexillum, belli symbolum, altero crucem cum duobus palmæ ramis tenet, *Pacis* videlicet & *Religionis* symbola, addito lemmate ex Virgilio mutuato (a): AD. VTRVMQVE. a

Anno 1607. spes quædam affulgebat, pacis & gratiæ inter Archiducem ALBERTUM & ISABELLAM uxorem, ac inter rempublicam Batavam reconciliandæ. Cum vero ALBERTUS sine Regis PHILIPPI suffragio, ad quem scilicet Belgium aliquando, ipso liberis carente, redire debebat, tanti momenti negotium nollet profèqui, misit ad Regem, qui eius consensum peterent pro Batavorum republica, tanquam libera, agnoscenda. Assensit tandem Rex, hac lege tamen addita, ut ratio Religio-

PHILIP-
PUS III.
REX HI-
SPANIÆ.

ligionis haberetur. Quod nisi fieret, se ad utrumque, & pacem, & bellum, paratum esse. In quo quidem patrem est secutus, qui, cum pax cum Gallis reparanda esset, eodem symbolo fuerat usus. *M. Imp. ar. pond. 1. unc. V. L. T. II. p. 28.*

X.

Est hic nummus plane similis præcedenti, nisi quod in averfa non totum vexillum, sed tantum hasta vexilli conspicua fit. Excedit quoque priorem magnitudine. *Ex mus. D. B. de BERBERICH.*

XI.

PHILIPPVS. III. HISPANIAR. REX. Effigies Regis ut num. II.

MARG. aritha AVST. riacæ HISP. aniarum REG. ina A. nno MDCIX. Effigies Reginae fere ut num. V.

De hoc numismate videbimus numero mox sequenti. *T. H.*

XII.

Utraque nummi facies præcedenti respondet, hic tamen annulo præterea instructus est.

Postquam ALBERTUS, finito illo diuturno cum Batavis bello, anno 1609. inducias XII. annorum, ope legatorum Regis Angliæ & Franciæ, pactus fuerat, tanto ob felicitatis huius negotii exitum gaudio captus fuit, ut præter alia pretiosa dona, etiam provinciarum sex legatis decem & octo catenas aureas, insignis magnitudinis, muneri mitteret, e quibus singulis, referente Cl. VAN LOON, pende-

bat huiusmodi numisma, cuius Tab. XL. ectypum hic conspiciamus. Quo fit, ut annulus adhuc in eodem appareat.

Ceterum cum numisma præcedens, ex tabulis HERÆI eductum, ab hoc nostro parum differat, atque eodem etiam anno cufum fuerit, forte haud aliud est a nostro, totumque discrimen a chalcographo duntaxat profectum; atque adeo eiusdem etiam argumenti. *V. L. T. II. p. 52.*

XIII.

PHILIPPVS III. REX HISPANIARUM 1614. Effigies Regis fere ut num. I.

DE CAELO FORTITVDO. Eques incitato cursu militem prostratum, humi iacentem, prætervehitur, dextra oliuæ, ut videtur, ramum monstrans, sinistra habenas tenens. Inferius numerus denarius legitur.

Quid huic nummo dederit occasionem, haud adeo certum, nisi expugnatio *Aquisgrani* huc sit referenda, quæ urbs a novo Imperatore MATTHIA proscrip-
ta, atque a SPINOLA paucis diebus capta atque in ordinem redacta fuit. Qua de re nonnulla ad ALBERTI nummos diximus. *M. Imp. ar. pond. semidr.*

MONETÆ
NEAPOLITANÆ.

XIV.

PHILIP. pus III. REX. HIS. paniarum. Effigies Regis fere ut num. VII. dextrorsum tamen conversa.

Castel-

11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100